


LVNÆ DIE 17 M. DECEMBRIS A. 2007

A.d. XVI Kal. Ianuarias a. MMVIII

I 4 I

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DELECTATIONIS CAUSA...

Frequens fuit sessio Latina mense Septembri anno 2007 Bruxellis habita ; etiam interfuerunt amici Francogalli et Hispani. Cum complures præsentium linguam Latinam diversimode diversisque locis docerent, fuit bona occasio recogitandi, cur hodie hæc lingua discatur. ¶ Scholæ Novæ rectores, Stephanus Feye et Carolina Thuysbaert, optime efficiunt id quod vehementer optatum est inter hornotinum conventum Neapolitanum : ut litteræ Latinæ et Græcæ pertinaciter et vivo modo colantur, cum sint optima via ad humanitatem adipiscendam. ¶ Dominicus Viain anno 2001 Parisiis instruxit conventum, c.t. « Le latin, tradition vivante », ubi plerique frequentissimorum participum putabant linguam Latinam discere pergendum esse, cum sit lingua tradita Ecclesiæ Catholicæ Romanæ. Inter oratores fuit Iohannes Ørberg, Danus auctor optimæ methodi in nonnullis Italiæ scholis iam adhibitæ, sed in Francogallia vix notæ. Huius methodi singularitas in eo est, quod tantum Latine conscripta est, sed tamen ad solos antiquos auctores legendos spectat. Post conventum, « Amicitia Catholica pro Latinitate » cursum linguæ Latinæ methodo Orbergiana nitentem pro adultis Parisiis instituit, moderante Dominico Viain. ¶ A. Gratius Garseus F.V. Avitus, Hispanus, linguam Hispanicam Londinii docens, cursum linguæ Latinæ per interrete creavit, quo methodum Assimil adhibet. ¶ Nosmet ipsi, uxor Francisca egoque, ante sex annos Bruxellis in Museo Domus Erasmianæ cursum linguæ Latinæ instituimus ; methodum Orbergianam elegimus, qua adhibita discipuli post duos annos auctores legere valent, non tamen loqui, id quod re vera fere nullus cupit ; omnes enim linguam Latinam solum discunt delectationis causa. ¶ Non delectationis causa ipse ante triginta annos vivo sermone Latino studere cœpi ; semper sollicitus de Europæ divisione, cui favebat linguarum multiplicitas, inveni homines, qui aliquid autumabant mihi inauditum, linguam scilicet Latinam ad communicationem hodiernam adhuc aptam esse ; fortuito enim incideram in methodum Assimil, *Le latin sans peine* vocatam, ubi Francogallus auctor, Clemens Desessard, etiam de rebus hodiernis tractabat novis utendo vocabulis. ¶ Ipse tamen Latinitatis vivæ fautor non essem factus, nisi mihi contigisset consuetudinem iungere cum Doctore Cæleste Eichenseer et sodalibus Societatis Latinæ Saraviponti in Germania anno 1976 conditæ ; illi viri statuerant operam dare ad restituendum linguæ Latinæ usum cottidianum, necessarios neologismos rite fingendo et homines diversimode docendo, præsertim seminariis vivi sermonis Latini. Hoc erat tempus spei ; seminaria Societatis Latinæ, initio in Germania tantum

instructa, postea in aliis quoque Europæ civitatibus habita sunt. Frequentes et entusiastici erant participes. Æmuli orti sunt, qui varia seminariorum genera instituerunt. ¶ Perpauci tamen inter magistros linguam Latinam docentes huic incepto faverunt ; hoc maximo detrimento fuit prospero successui dilatationique Latini sermonis ad vitam revocati. Magistrorum vero detrectatio non est miranda, cum academici professores, rarissimis exceptis, solum linguam Latinam mortuam tractare velint, incitantibus civitatum regentibus politicis. ¶ « Euroclassica » est nomen consociationis ab Europæis societatibus linguarum classicarum docentium creatæ paulo post murum Berolinensem abolitum ; tunc Orientalium legati suaserunt ut lingua Latina consociationis fieret sermo usualis, cui consilio vehementer obstiterunt Occidentales. ¶ Maxime deest, nostra ætate, necessitas sermone Latino in aliqua re utendi ; cur ergo linguam Latinam discamus, nisi forte delectationis causa ? Fortuito incidi in narrationem historicam, ubi agitur de singulari necessitate Latine discendi. Duodevicesimo sæculo modi inter nationes communicandi fere iidem facti sunt ac nunc et legationes apud diversas civitates sunt perpetuæ. Quare Iohannes-Baptista, marchio de Torcy, primus in Francogallia cogitat de Academia politica condenda, ubi doceantur iuvenes, qui cursum diplomaticum inire velint. Idem huius Academiæ regulas anno 1712 constituit ; scitu dignum est primam studiorum regulam esse hanc : « Bene scire litteras quæ vocantur bellæ vel humaniores, auctores scilicet Latinos perfecte et Græcos plus minusve, ut legatus archetypa ipse legere valeat ».¹ Nulla huius generis necessitas hodie manet. ¶ Supererat in Francogallia monumentum primi « Viventis linguæ Latinæ conventus universi » anno 1956 Avennione habiti, i.e. methodus Latine discendi c.t. *Lingua Latina sine molestia*, quam Clemens Desessard confecit et anno 1966 in serie « Assimil », vivis linguis discendis dedita, in lucem edere valuit. In præfatione Clemens Desessard dicebat se præsertim sermonem cottidianum in contextu moderno docuisse. Hæc methodus optime accepta est et divendita ; complures editiones factæ sunt, etiam recenter nova editio Italica. Nulla ergo erat causa textus mutandi. ¶ Huiusmodi tamen methodus, qua docetur usus cottidianus hodiernusque linguæ Latinæ, erat molesta spina in pede eorum, qui linguæ Latinæ institutionem officialiter regunt. Quibus instigantibus, domus editoria Assimil novum textum conficiendum curavit et in lucem modo edidit, ubi de rebus hodiernis iam non agitur, sed solum de auctoribus antiquis legendis. Huius novæ methodi recensio infra legi potest ; quare

solum de præfatione aliquid dico. Iam in primis lineis legitur linguam Latinam esse mortuam, quod infra confirmatur his fere verbis : « Linguam Latinam hodie exercere, certe non est ea uti ut sermone vivo ».

Auctrix concludit dicens operæ tamen pretium esse eam discere, cum animi culturam locupletet. Discere delectationis causa... ¶ Novæ methodo adduntur compacti disci, unde lectiones audiri possunt. Locutores sunt quattuor alumni universitatis Redonum (v. *Rennes*), qui ad hoc opus perficiendum pronuntiatu restituto uti discere debuerunt. Facilius fuit rem petere ab aliquibus Latinitatis vivæ cultoribus, sed illi consulto ignorantur. Tranquillius dormient vivi Latini sermonis potentes hostes ; sarcophagus linguæ Latinæ iterum

clauditur. ¶ Quamquam flammula Latinitatis vivæ tenuis est, censere pergo hanc linguam etiam colendam esse, cum sit pacificum vinculum inter gentes nationalem adhuc nimis distractas. Pergam ut institui ; fautori non sufficit delectare. ❧

Gaius LICOPPE

1. P.J. Rémy, *Trésors et secrets du Quai d'Orsay*, Paris, J.C. Lattès, 2001, p. 193.

I. DUCOS-FILIPPI, *Le latin*, Paris, Assimil, coll. Sans Peine, 2007, 630 p., ISBN 978-2-7005-0369-2

Ergo editores hoc novo libro constituerunt auctorum lectionem unice spectare, neglecta loquela. Quod est eorum ius. Dolendum tamen est quod solam antiquitatem, et quidem classicam, respexerunt, cum Latinitas tam locuples sit tamque ampla.

Magis etiam dolendum est quod opus scatet mendis, barbarismis, solœcismis. Accentus non raro perperam indicantur : *tésselæ* (p. 21), *intráverunt*, *íverunt* (p. 135), *nécesse* (p. 247), etc. Morphologia nonnumquam est manca : *illæ* (dat. pro *illi*, p. 111), *accederit* pro *acciderit* (p. 337), inter alia. Quid autem de grammatica harum sententiarum : *Respiciamus ergo quid optimum factu est* (p. 473), *Nunc oportet te grammaticæ librum et glossarium comparaturum esse* (p. 485), *Timebam ne Monica heri venerit* (p. 271, exercitatio de consecutione temporum), *Quid horribilis factum est ?* (p. 341), *istam finem* (p. 393), *Dominus meus monuit ut iste vir sævus esset* (p. 275), et ita porro. Leguntur insuper miræ res : *Populus Romam vertit* (« Le peuple retourna à Rome », p. 175), *Quantum mutavi !* (« Comme j'ai changé ! », p. 365), *Vos nobis ius imperare habetis* (« Vous avez le droit de nous gouverner », p. 167). Pagina 483 demum discimus in lingua Latina non esse vossissionem. Pagina 322 introducitur gerundivum, cum iam tractatum sit pagina 279. De textuum delectu et tractatione, de operis sale et iucunditate iudicent singuli. Pagina IX

invenitur declaratio singularis : *Egalitatem* (sic) esse notionem vere Romanam ! Ecce denique margaritam ad verborum casus pertinentem : « Il vous faut maintenant vous familiariser un peu chaque jour avec ces terminaisons. Ne les apprenez pas par cœur, aidez-vous plutôt de l'ordre des mots. Une forme en -us en début de phrase, c'est certainement un nominatif, et non un accusatif pluriel de la 4^e déclinaison ! » (quod sapiens consilium p. 130 invenitur).

Hæc, bone lector, sufficiant pauca exempla. Neque enim spatium neque otium suppeditat ad omnia hic singillatim recensenda. Lector attentus multa eiusdem farinæ ubique inveniet.

Fateamur tamen tale inceptum, methodum linguæ discendæ conscribere, non esse facile. Laudanda quidem est auctricis bona voluntas, at notanda levitas editorum, quibus non visum sit correctores, eosdemque fidos, adhibere.

Francisca Deraedt

DE ACADEMIA LATINITATI FOVENDÆ

– *deliberationes quædam Christiani Laes novi sodalis* –

Sodales carissimi,
Mihi iuniori inter sodales modo in hanc Academiam illustrissimam electo, timor quidam atque pudor invasit. Pudor scilicet, cum inter tot viros doctos linguæque Latinæ peritissimos verba sim prolaturus ; timor ne verba mea iuvenilem istam redundantiâ et adulescentiæ fervorem nimis redoleant. Utut id est, mihi propositum est hac in oratiuncula nonnulla vobis narrare more satis tradito sed etiam nova, paululum etiam insolita : de me ipso, ut mos est, pauca enarrabo, gratias quibusdam agam, cogitationes quasdam privatas exprimam, duo autem proposita ad effectum adducenda in fine vobis adumbrabo.

De me ipso deque cursu academico ut omnes minutias vobis enodam, nostris temporibus interretialibus vix est opus : sat enim supersunt situs interretiales in quibus bibliographiæ, vitæ curricula, lectiones virorum doctorum exhibentur.¹ Flammam quidem Latinitatis Vivæ in me accendit Theodoricus Sacré, tunc temporis professor Antverpiensis, qui me per quattuor annos, Antverpiæ primum deinde Lovanii, auctores necnon litteras Latinas mirum in modum edocuit. Illo instigante, anno 1992 Vavriæ, in oppido Belgico, seminarium Latinitatis Vivæ participavi. Magno cum gaudio, summaque cum gratia, patrem Cælestem Eichenseer et Sigridem Albert recordor, a quorum scientiæ thesauro multa didici quæ ad usum linguæ Latinæ pertinent, quibuscum semper bona consuetudine sum coniunctus. Gaius Licoppe et Francisca Deraedt ab ipso initio benignissime me acceperunt in seminaria quæ ordinare solebant. Vinculo amicitiae ac Melissæ colligati, tria iam symposia Latinitatis Vivæ una cum Gaio et Francisca constitui, in Francia, in Italia atque in Belgio, ubi ego præsertim tirones iuniores curare solebam. Cum illos autem magistros atque amicos Academiae sodales vel hoc ipso in loco præsentem videam, facere non possum quin gaudio maximo complear. Quod ad me ipsum attinet, sufficit dicere mihi præsertim vitam cottidianam et mores Romanorum antiquorum cordi esse, de pueritia et de vitæ cursu Romano me tres iam divulgasse libros academicos, necnon symbolas doctas variis in commentariis internationalibus variis etiam linguis exaratas. In operibus meis academicis illi quidem proposito maxime faveo quod Theodisce aptissime *Altertumswissenschaft* nuncupatur : litteris certe antiquis studeo, inscriptionibus, legibus, papyris, nummis, imaginibus nullo modo omissis – qui fontes omnes nobis sint adiutorium ad tempora antiqua necnon homines antiquos melius cognoscendos. Doctoratum die sexto mensis Octobris anno 2004 superavi, primum

docentis munus academicum inde a die primo mensis Februarii anni 2007 studiorum in universitate Antverpiæ obtinui, ubi professor historiæ antiquæ sum creatus. Quod munus coniungo cum officio magistri in vico Brasschaat, ubi in gymnasio præclaro Sancti Michaelis linguam Græcam et Latinam discipulos optimos doceo. Quo in gymnasio etiam lectiones Latinitatis Vivæ tempore meridiano, horis liberis quæ dicuntur, summo cum gaudio præbeo.

Academia Latinitati Fovendæ congregationem esse doctam et Latinam, nemo sane erit inter nos qui neget. Mea autem sententia his in rebus, doctrina scilicet et Latinitate, exoritur difficultas, quin etiam ambiguitas quædam.

Quamquam facile apparet congregationem ad Latinitatem fovendam pertinere ad linguam Latinam, non iniuste aliquis rogaverit quid sibi velit hæc Latinitas. Studiumne linguæ et litterarum Latinarum ? At sunt tot instituta præclara in toto orbe terrarum quæ talem rem diligentissime curant. Si suam quisque sodalis sub vexillo, ut ita dicam, Academiae scientiam tractaverit, nonne oppugnatores iuste meritoque dicant Academiae tantum esse unum ex multis institutis doctis, quod insuper nimia varietate propositorum oppressum scopo proprio careat ? Habeat ergo suum propositum Academia nostra, eas res tractet quæ aliis institutis doctis non ita sunt cordi : usum scilicet linguæ Latinæ. Latine loquendo, Latine scribendo, libris etiam Latinis divulgandis, id tandem assequemur ut finis noster primarius aliis luce clarius appareat. Nonne operæ pretium erit aliquando et usum huius linguæ fovere nostris temporibus ubi dominatio Anglica multos iam periodicos doctos funditus penitusque invasit ?² Nonne libros didascalicos propagabimus qui linguam Latinam modo vivo docent ?³ Scriptoribus faveamus qui nostris adhuc temporibus Musam Latinam colere pergunt, opiniones nostras patefaciamus de neologismis apte creandis. Quibus in rebus non oportet esse sicut solitarii in insula quadam relicta : viros adeamus Vaticanos necnon Societatem illam Latinam Saravipontanam qui in neologismis creandis optime iam sunt meriti, moderatores sedium interretialium respiciamus ubi nova vocabula, nova poemata, textus Latini, epistolæ celeriter inter multos distribuuntur.⁴

Veruntamen, ex eo quod congregatio quædam sit Latina, non facile sequitur eam esse doctam. Quam ob rem oportet id curare ut sodales sint professores academici iique qui bene de lingua Latina sint emeriti ; id etiam videre ut orationes in conventibus nostris sint

doctæ atque alicuius momenti, ne nugas, blaterationes, ineptiasque plaudamus ea tantum de causa quod Latine sint scriptæ et dictæ. Cultum civilem antiquum, hereditatem quæ dicitur classica, commune quoddam fundamentum totius Europæ si laudare et propagare volumus, nobis non iam opus sunt verbis laudatoriis iterumque iterumque prolatis. Proximus conventus Academiæ Ratisbonæ in Germania de anno bismillesimo cladis Varianæ tractabit. Tali autem occasione data, velim comperire quomodo auctores Latini variis temporibus iisdem semper textibus nixi hunc eventum interpretati sint, quomodo identitatem Theodiscam invenerint, creaverint, forsitan et finxerint. Rebus enim bene perspectis, apparet ipsam etiam cogitationem identitatis Europæ variis temporibus a variis auctoribus varie esse intellectam et interpretatam, idque scriptis Latinis mediæ ætatis, Renascentiæ temporis necnon temporum recentiorum. Tales autem quæstiones aggredientes, media certe in pugna docta huius erimus sæculi : mente omnino aperta, anxietate amissa, verum valorem cultus civilis classici demonstrabimus sine quo multa quidem hodierna non essent.⁵

Sodales carissimi. Romam in hanc villam pulcherriam non sum advectus ut vobis cogitationes quasdam afferam, sed etiam ut duo proposita ad effectum adducenda palam faciam. Primum. Euroclassica est associatio magistrorum Europæorum quæ inter alia id efficere vult ut omnes pueri Europæi saltem paulum scholis primariis Latine doceantur, utque peritiores postea in gymnasiis studia pergere possint.⁶ Certe, utitur hæc consociatio lingua Anglica, et scopus eius non est idem ac finis Academiæ nostræ. Nonne cooperatio quædam esset frugifera ? Secundum. Animadverti nonnullos esse sodales qui propter merita Latina vel amorem, ut ita dicam, linguæ Latinæ in Academiam sint electi. Qua in re, statim de novo quodam sodali cooptando cogitavi. Virum dico qui et ipse optime Latine loquitur, professorem academicum eminentissimum, qui mente aperta variis aspectibus bene perpensis et consideratis de traditione Europæa diserte scripsit, qui usum et studium linguæ Latinæ variis occasionibus publice defendit, cuius cooptatione (et hoc non esset sine aliquo momento) Academia magis magisque innotescat. Josephum illum Ratzinger, papam Benedictum XVI, velim ergo proponere ut novum sodalem accipiamus. Dixi.

Romæ, die 23 mensis Novembris 2007.

1. Si cui hæc res cordi sit, inspiciat quæso situm hunc : <http://www.ua.ac.be/main.aspx?c=christian.læs>.
2. De symbola docta quam nuperrime in lucem edidit sodalis noster H. Solin, vir doctus Chris Eckerman annotavit hæc : « It is curious to find Solin choosing to publish in Latin. Even the proud Oxford Classical Text series has begun to offer vernacular prefaces in place of the relatively elitist and inaccessible Latin. As scholars, should we not want our work to reach the broadest possible audience, including non-specialist scholars and students ? » Videte situm hunc : <http://ccat.sas.upenn.edu/bmcr/2007/2007-10-34.html>. Suspicio autem verba « the broadest possible audience » præsertim spectare ad eos qui linguam Anglicam calleant...
3. H. Oerberg, *Lingua Latina per se illustrata*. Qui vir doctus atque magister optimus nunc habet suam propriam domum editoriam (videte, quæso, situm hunc : <http://www.lingua-latina.dk/>).
4. Plurimi nexus inveniuntur in situ Circuli Panormitani : <http://www.cirlapa.org/nexus.htm>.
5. De his quæstionibus difficilibus, verumtamen maximi momenti iis quibus institutio linguæ Latinæ cordi est, videte T. Van Houdt, « Latijn en de 'Europese gedachte'. Bedenkingen bij het didactische project Europatria », in *Kleio* 36 (2006-2007) p. 1-21. Cogitationes quædam criticæ, non tamen spernendæ inveniuntur apud F. Waquet, *Le Latin ou l'empire d'un signe, XVI-XX siècle*, Lutetiæ, 1998.
6. <http://www.euroclassica.org/>.

DE QVARTO REGNO HELLENISTICO

PARS PRIMA : IN VESTIGIIS ALEXANDRI MAGNI

- scripsit Gaius Licoppe -

Museum Nationale Caburæ (hodie *Caboul*), quod post tæterrimum Talibanorum regimen fugatum feliciter restauratum est, anno 2007 præstantes collectiones suas in extraneam regionem primum misit ; sic Parisiis facta est extraordinaria exhibitio c.t. « Afghanistanæ Thesauri Reperti ». Qua lustrata, mihi in mentem venit nonnulla narrare de antiqua Afghanistanæ historia.

Afgхания recentioribus Europæis diu fuit impervia et ignota. Pulcherrimus nummus aureus Græce inscriptus et in Afgхания inventus, qui in Russiam pervenerat, initium fecit indagatorum historicarum ad Afgghaniam spectantium. Huius nummi descriptio in lucem edita est a docto Germano, T.S. Bayer nomine, qui etiam primum opus historicum conscripsit, et hoc Latine ; intitulatur *Historia Regni Græcorum Bactriani* (Petropoli, 1738). Undevicesimo demum sæculo primus viator Europæus, Alexander Burnes Anglus, Afgghaniam lustravit. Effossiones autem archæologicæ non ante vicesimum sæculum inchoatæ sunt ; anno 1922, instigante rege Amanullah, creata est D.A.F.A. (Delegatio Archæologica Francogallica in Afgхания), cui soli licentia effodiendi data est in triginta annos. Effossiones, altero bello mundano interruptæ, recentius detexerunt res miras.

Die II m. Martii a. 2001 fanatici Talibani ingentes Buddhæ statuas in rupina Bamiyan ante multa sæcula exsculptas ad nihilum redegerunt, obstupescente et frustra vituperante mundo exulto. Si hodiernam Afgghaniam, ubi tanta iconoclastarum barbaries sævit, consideramus, nobis vix fingere possumus ibi olim in vestigiis Alexandri Magni floruisse Græcitatē.

Bene nota sunt Seleucidarum, Lagidarum Attalidarumque regna, in Alexandri imperii territorio constituta, minus, ut videtur, quartum regnum Hellenisticum, quod in Asia centrali floruit. His extremis Græcis, qui longius quam ipse Alexander Asiam penetraverunt et buddhismum invenerunt, obviam ibimus.

Nomina regionum, ubi res suas gesserunt, plerisque nostrum vix sunt nota ; eo difficilior memoria mandantur, quod duplicia sunt, antiqua scilicet et recentiora. Geographicis ergo schematibus demonstrandus est harum regionum situs in orbe terrarum.

Sequamur imprimis Alexandri vestigia. Ille anno 330 a.Ch.n. est Persepoli. Darius III autem, qui ter intra quattuor annos victus est, sed post singula proelia aufugere valuit, a Besso, Bactrianæ satrapa, interficitur. Alexander, qui se abhinc habet Achemenidarum regum successorem, ab eo pœnas repetere statuit. Oportet tamen militibus Macedonibus suadere ut bellum longius pergant. Quintus Curtius, cuius verbis in hac narratione paraphrasticè utar, narrat eum apud milites


contionatum esse his fere verbis : « Peccatum sit, si Darium ob hoc vicerimus, ut imperium tradamus Besso, qui regem suum, cui nos victores pepercissimus, captivum in vinculis habuit occiditque. Hunc vos regnare patiemini, quem equidem cruci affixum videre volo ? Egregium opus et inter prima gloriæ vestræ numerandum posteritati famæque tradetis, Darium hostem, finito post mortem illius odio, parricidæ cæde vos ultos esse, neminem impium effugisse vestras manus. » Summa militum alacritate iubentium quocumque vellet duceret oratio excepta est. (Curt., VI, 3). Tunc incohatur ingens expeditio, memorabilis non solum continuis Alexandri victoriis, sed etiam inventionē longinquarum regionum a Græcis ignotarum. Alexandro enim est duplex animus, bellatoris a patre Philippo, rerum naturalium studiosi a magistro Aristotele.

Bessus se contulit in Bactrianam, cuius satrapes fuit. Bactrianæ et ultra Sogdianæ incolæ illius temporis sunt ramus stirpis Iranianæ. Bessus, veste regia sumpta, se Artaxerxen appellari iubet Scythasque contrahit. Autumno Alexander ad eum tendit et tertio die per Parthiam ad Hyrcaniæ fines pervenit.

Hyrcania, ad meridiem orientemque maris Caspii sita, hodie est extrema pars septentrionalis orientalisque rei publicæ Iranianæ. Huius regionis pars montuosa præaltis densisque arboribus umbratur ; in vallibus autem solum pinguescit aquis, quæ ex petris imminentibus manant. Omni commeatu abundat ; pomorum necnon uvarum ingens copia nascitur.

Quadrato et composito agmine procedit Alexander, speculatores subinde præmittens, qui loca explorent ; gens enim est bellicosa et situs aditu difficilis. Procedit per semitam propemodum inviam, cui silva imminet ; torrentes et eluvies morantur, nullo tamen hoste obvio.

Traiecta Hyrcania, eius confines Mardi legatos non mittunt. Est gens cultu vitæ aspera et latrociniiis assuetata. Alexander indignatus unam gentem efficere posse ne sit invictus, impedimentis cum præsidio relictis, expedita manu comitante procedit. Noctu iter facit et prima luce est in conspectu hostis. Tumultus magis quam proelium fit. E collibus deturbati, Mardi ad interiora regionis profugiunt, quæ haud adiri possunt sine magna exercitus vexatione. Non solum in montibus obstant præaltæ silvæ rupesque inviæ, sed etiam plana loca novo munimenti genere ab istis barbaris instructa sunt ; densæ enim arbores sunt de industria consitæ, quarum teneros adhuc ramos manu flectunt et intortos rursus inserunt terræ ; inde velut ex alia radice lætiores virent trunci ; hos adolescere non sinunt,



- 7. Bactra (Balch)
- 8. Maracanda (Samarkand)
- 9. Alexandria Eschate (Khotjend)
- A. Caucasus mons
- B. Paropanisus mons
- C. Kapiça et rivus Kopbene

- 1. Athene
- 2. Persepolis
- 3. Ecbatana
- 4. Alexandria Aricie (Herat)
- 5. Alexandria Arachosie (Candahar)
- 6. Alexandria ad Caucasum (prope Caboul)

quippe alium alii quasi nexu conserunt ; sic fit ut multa fronde terram operiant et iter sæpe intercludant.

Una ratio est cædendo aperire saltum, sed hoc est magnum opus. Incolæ autem ritu ferarum virgulta subire soliti, saltum intrant occultisque telis hostem lacesunt. Alexander vero, venantium modo latibula scrutatus, plerosque confodit et milites saltum circumire iubet. Sed, ignotis locis, plerique oberrant ac nonnulli capiuntur, inter quos equus Alexandri, Bucephalas nomine. Alexander maiore, quam decet, ira simul ac dolore stimulatus equum vestigari iubet et per interpretem pronuntiari, nisi se reddiderint, neminem esse superfuturum. Barbari hac denuntiatione terri cum ceteris donis equum adducunt ; sed ne sic quidem mitigatus, Alexander silvas cædi iubet planitiemque ramis impeditam humo e montibus adgesta exaggerari. Iam aliquantum altitudinis opus creverat, cum barbari desperati gentem suam dedidere.

In eo erat Alexander, ut ad Bessum tandem iret, cum in Ariam rebellantem redire cogitur. Ibi Alexandriam Ariæ (hodie *Herat*) condit et mense Decembri in situ hodiernæ Afghanicæ urbis *Candabar* hiemat, ubi constituit Alexandriam Arachosicæ condere.

Vere anni 329, Bactrianam petit Bessum persecutus. In itinere ad septentriones exercitus transit altam vallem rivi Caburæ (v. *Caboul*) ; hæc amœna regio, quæ tunc vocatur *Kapiça*, Græcis speciem præbet Helladis, cum ibi optime colantur cerealia, vites et pomaria. Magna copia amygdalarum, armeniacorum et uvarum exportatur in Indiam ; non longe enim absunt fauces (hodie *Khaiber* vocatæ) per quas in Indiam transitur. Ibi, non longe ab hodierna urbe *Caboul*, Afganicæ capite, Alexander sedem eligit novæ urbis. Septem milibus seniorum Macedonum et præterea militibus, quorum opera uti desiit, permittitur in novam urbem considerare, Alexandriam ad Caucasum appellatam. Mirandum est quod Caucasum vocant montes, qui hodie *Hindou Kouch* appellantur, sed, cum Caucasum re vera prolongent, antiqui eos ab illo non distinguebant.

Hanc montis Caucasi partem, quæ tunc vocatur Paropanisus, transire arduissimum est ; exercitus intrat in regionem ne finitimis quidem satis notam, quam incolunt Paropanisidæ, agreste hominum genus et inter barbaros maxime inconditum ; cum finitimis nullum habent commercium ; asperitas quoque locorum eorum ingenia durat. Tuguria struunt, quorum structura latior ab imo paulatim incremento operis in artius cogitur, ad ultimum in carinæ modum coit. Ibi foramine relicto, superne lumen admittunt. Hieme defossa latent, adeo altæ nives premunt terram ; gelu et perpetuo pæne rigore solum constringitur, ut ne avium qui-

dem feræve ullius vestigium exstet.

In tanta omnis humani cultus solitudine destitutus exercitus, quidquid malorum tolerari potest, perfert : inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem. Multos exanimat rigor insolitus nivis, multorum adurit pedes, plurimorum oculos. Hoc præcipue nocet fatigatis, quippe in ipso gelu deficientia corpora sternunt, quæ, cum moveri desinant, vis frigoris ita adstringit, ut rursus ad surgendum coniti non possint. A commilitonibus torpentes excitantur, neque aliud remedium est quam ut ingredi cogantur. Si qui tuguria barbarorum adire possunt, celeriter reficiuntur. Sed tanta est caligo, ut ædificia nullam aliam rem quam fumum ostendant.

Barbari, numquam ante in terris suis advena viso, cum armatos repente conspiciant, exanimati metu, quidquid in tuguriis est adferunt, ut corporibus ipsorum parcatur orantes. Alexander agmen circumit, iacentes quosdam erigens ; tum ad prima signa, tum in medio, tum in ultimo agmine multiplicato labore adest.

Bessum Alexandri celeritate perterritus cum amicis copiarumque ducibus de bello consultat. Statuit in Sogdianos recedere, Oxum amnem (hodie *Amou Daria*), velut murum, obiecturum hosti, dum e finitimis gentibus valida auxilia concurrant. Octo milia Bactrianorum habet armata, qui, postquam adventare Alexandrum compertum est, in suos quisque vicos dilapsi Bessum relinquunt. Quare, cum clientum manu, Oxo amne superato exustisque navigiis, quibus transierat, novas copias in Sogdiana (hodie *Transoxiane*) contrahit.

Alexander, Paropanisio (hodie *Hindou Kouch*) superato, Bactrianam transit, quæ est terra multiplex et variæ naturæ. Sunt partes frugiferæ, quarum solum pingue crebris fontibus rigatur. Ibi ingens hominum equorumque multitudo vivit ; triginta enim milia equitum sunt apud Bactrianos. Bactra (hodie *Balkh*), huius regionis urbs caput, sita est ad amnem Bactrum, qui in Oxum influit.

Longius tamen terræ fiunt steriles et arena tenentur ; squalida siccitate regio non hominem, non frugem alit (hodie *Kara Koum*). Venti, cum spirant, quidquid sabulonis in campis iacet converrunt cumulantque, quare omnia pristini itineris vestigia intereunt. Qui per hos arenaceos colles itinerantur, navigantium modo noctu sidera observantes se dirigunt ; præterea nocturnum iter tolerabilius est, quia rore et matutino frigore corpora levantur. In hac sterili regione Alexander tantam frumenti inopiam patitur, ut prope ad famem veniatur. Deficientibus alimentis, iumenta, a quibus onera portantur, cædere iubet, quorum carne vita sustineatur.

Tandem Alexander ipse ad flumen Oxum (hodie

Amou Daria) pervenit, sed exercitus magna pars sequi non potest. In edito monte ignes iubet fieri, ut hi qui ægre sequuntur, se haud procul a castris abesse percipiant. Eos, qui primi agminis sunt, mature cibo et potione firmatos iubet utres et vasa implere ad moratos portanda.

Postero die lætior non est, cum nec navigia habeat nec pontem erigere possit : nam terra circum amnem nuda et sterilis est. Consilium init ut, utribus quam plurimis stramentis refertis, milites his incubantes amnem tranent. Hoc modo intra sex dies totum exercitum in adversam ripam exponit, Bessum semper persecuturus. Tunc inopinanter nuntiatur istum a suis vincuntum esse atque in equum impositum, ut tradatur. Quo facto, Bessum Ecbatana duci iubet pœnas capite persoluturum. Alexander tamen iter ad septentriones pergit per Sogdianam maiore ex parte desertam.

Occurrit parvulo oppido, cuius incolæ, Branchidæ vocati, Mileto oriundi sunt ; olim templum Didymeum violaverant in gratiam Xerxis, qui, cum e Græcia rediret, eos secum duxit et in ea sede constituit. Mores patrios nondum amiserunt, sed iam bilingues facti sunt. Magno gaudio Alexandrum excipiunt urbem seque dedentes. Ille Milesios, qui apud ipsum militabant, convocari iubet. Vetus odium Milesii gerebant in Branchidarum gentem, quare, licentia ab Alexandro data, Branchidas pro scelere punire decernunt. Ipse Alexander cum expedita manu portam intrat ; phalanx, mœnia oppidi circumire iussa, signo dato, urbem proditorum diripit. Incolæ inermes passim trucidantur, nec commercio linguæ nec precibus inhiberi potest crudelitas ; omnes ad unum cæduntur.

Hinc quarto die ad urbem Maracanda (hodie *Samarkand*) pervenit exercitus. Urbs circumdatur muro tredecim chiliometra longo ; arx alio cingitur muro. Præsidio urbi relicto, Alexander proximos vicus depopulatur atque urit. Legati deinde Abiorum Scytharum superveniunt.

Inde Alexander iter pergit usque ad flumen, quod est septentrionalis Sogdianæ finis. Tanais (hodie *Don* in Russia) appellatur hoc flumen apud Quintum Curtium, qui dicit id esse limitem, quo Asia ab Europa dividitur. Re vera est Iaxartes (hodie *Syr Daria*), qui ut Oxus in Oxum mare influit. Cur Curtius tantum errorem geographicum fecit ? Quia ultra Iaxarten incohantur immensæ solitudines plus minusve herbosæ, quas hodie « steppas » vocamus et ubi vagantur multæ Scytharum tribus. Hæ steppæ ad occidentem versus extenduntur usque ad regiones supra Pontum Euxinum sitas. Alexandri æquales, qui sibi non fingunt stepparum immensitatem, cum sciant Scythas proximos esse

Græcis civitatibus Ponti Euxini atque ultra Iaxarten eisdem Scythis occurrant, putant se propiores Europæ esse, quam re vera sunt.

Alexander castra in Iaxartes ripa munita circumdat muro undecim chiliometra longo. Hanc urbem Alexandriam Eschaten, i.e. Ultimam, (hodie *Khodjend*) appellari iubet.

Dum hæc aguntur, Scythæ legatos mittunt ad Alexandrum. Ex eorum longa oratione, præcipua verba sunt hæc : « Ab Europa petis Asiam. Quid nobis tecum est ? Numquam terram tuam attigimus. Nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus. Ad tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium quas adiisti latro es ; etiam ad pecora nostra avaras et insatiabiles manus porrigis. Transi modo Tanain [*re vera Iaxarten*] : scies quam late pateant [solitudines nostræ] ; numquam consequeris Scythas. Paupertas nostra velocior erit quam exercitus tuus, qui prædam tot nationum vehit. Rursus, cum procul abesse credes, videbis in tuis castris. Eadem enim velocitate et sequimur et fugimus. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Quos viceris, amicos tibi esse cave credas ; inter dominum et servum nulla amicitia est. Ultra Tanain [*hic recte agitur de Tanaide*] usque ad Thraciam colimus ; Thraciæ Macedoniam coniunctam esse fama fert. Utrique imperio tuo finitimos, hostes an amicos esse velis, considera. » (Curt. VII, 8, passim).

Dimissis vero legatis Alexander exercitum in præparatas rates imponit, sed milites in ripam ab hostibus occupatam exponere arduum est ; quare priores clipeati iubentur in genua subsidere, quo tutiores sint a sagittarum ictibus. Post eos stant qui tormenta intendunt. Reliqui remiges lorica indutos scutorum testudine protegunt. Maior pars militum a puppe nantes equos loris trahunt ; alii utribus stramento repletis vehuntur, obiecta ratium protectione. His advenientibus Scythæ admotos equitum ordines in ripæ margine opponunt, ut ne applicari quidem terræ rates possint. In vacillantibus autem ratibus prior standi sine periculo cura est quam hostem incessendi. Tormenta saluti sunt, quorum tela in Scythas temere se offerentes haud frustra mittuntur. Barbari quoque ingentem vim sagittarum ratibus infundunt, ita ut vix ullum sit scutum, quod non pluribus simul spiculis perforetur. Scythæ tamen exercitum exponi impedire non valent atque fugantur. In Asia Scythæ ab omnibus habentur invicti ; iisdem fractis, fama fert nullam gentem Macedonum armis parem esse.

Etsi Scytharum victor, Alexander intellegens fieri non posse ut eos per solitudines longius persequatur, æstatem Maracandæ degit, ubi vestem Persarum regum

induit eorumque mores sibi assumit ; suis comitibus indignantibus prosternationem imponere vult.

Autumno tempore, postquam in Sogdiana vehementer præliandum fuit contra rebelles, in hac ipsa regione in oppido Nautaca hiemat.

Vere anni 327 non omnes Sogdianæ rebelles devicti sunt ; partim se contulerunt in altissimam petram in quam solum ascenditur per abruptas perangustasque semitas. In media altitudine sunt complures specus, ubi se condidit multitudo armatorum Sogdianorum, alimentis ibi antea congestis ; neque aqua deest, multis manantibus fontibus. Alexander, qui, loci difficultate spectata, primum statuit inde abire, consilium mutat, ne quis dicere possit se ab Alexandro victum non esse. Prius tamen quam obsidionis fortunam experiat, legatum ad barbaros mittit, qui suadeat ut rupem dedant. Eorum dux superbe respondet atque interrogat, num Alexander etiam volare possit. Quibus auditis accenditur Alexandri animus ; postera nocte efficiet ut barbari credant Macedones, quamquam pinnas non habent, etiam volare posse.

Trecentos perniciosissimos iuvenes e suis copiis seligit, qui per calles et pæne invias rupes domi pecora agere solent. « Petra, quam videtis, unum aditum habet, quem Barbari obsident ; cetera neglegunt : nullæ vigiliæ sunt, nisi quæ castra nostra spectant. Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. Experiendo quæ ceteri desperaverint, Asiam habemus in potestate. Evadite in cacumen ; quod cum ceperitis, candidis velis signum mihi dabit. » (Curt. VII, II, passim). Verba iuvenes his animis audiunt, ut iam cepisse verticem videantur. Ferreos cuneos validosque funes parant. Alimentis in biduum sumptis, gladiis atque hastis armati secunda vigilia iter incohant. Primo pedibus incedunt ; deinde, ut in prærupta perventum est, alii manibus eminentia saxa complexi semet levant, alii adiectis funium laqueis progrediuntur ; quidam cuneos inter saxa defigunt, in quibus subinde gradus insistant. Diem inter metum laboremque consumunt, sed duriora restant ; nam altitudo petrae crescere videtur. Ex eis triginta duo, quos instabilis gradus fefellit, in præcipitem devolvuntur. Per has tamen difficultates perveniunt in verticem montis. Omnes, fatigatione continuati laboris confecti, nocte et somno opprimuntur, stratis passim corporibus in inviis et asperis saxis. Tandem ex alto sopore excitati dant signum, de quo erat conventum.

Quo conspecto signo, Alexander ad barbaros iterum mittit legatum, qui eos moneat ut nunc saltem ineant salubrius consilium. « Specta, ait duci, qui verticem ceperint ; pennas re vera habent milites Alexandri ! »... et barbari Saxum Sogdianæ dedunt. Inter eos est puella

eximiæ pulchritudinis, Roxana vocata. Alexander, cum Sogdianorum fortitudinem admiretur, eam uxorem ducere non dubitat, comitibus tamen dissentientibus.

Alexander iter ad meridiem pergens alterum altissimum saxum natura munitum capit et Bactrianos iterum rebelles debellat. Deinde montem Paropanisum transit atque exeunte vere anni 327 pervenit Alexandriam Caucasi in amœnam regionem *Kapiça*. Inde autumno tempore per fauces (*Kbaiber*) Indiam tandem petit.

India, de qua Alexander iam diu somniat, ita a Curtio describitur. Tota ferme spectat ad orientem. Multi amnes oriuntur e monte Caucaso [intellegendum *Hindou Kouch*], quorum maiores sunt Indus et Ganges. Incolæ « corpora usque pedes carbaso velant ; soleis pedes, capita linteis vinciant ; lapilli ex auribus pendent ; brachia quoque et lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent. Capillum pectunt sæpius, quam tondent, mentum semper intonsum est ; reliquam oris cutem ad speciem levitatis exæquant. Regum tamen luxuria, quam ipsi magnificentiam appellant, super omnium gentium vitia. Cum rex semet in publico conspici patitur, turbula argentea ministri ferunt, totumque iter, per quod ferri destinavit, odoribus complent. Aurea lectica margaritis circumpendentibus recubat ; distincta sunt auro et purpura carbaso quæ indutus est ; lecticam sequuntur armati corporisque custodes. Inter quos ramis aves pendent, quas cantu seriis rebus obstrepere docuerunt.

« Venatus maximus labor est inclusa vivario animalia inter vota cantusque pelicum figere. Binum cubitorum sagittæ sunt, quas emittunt maiore nisu, quam effectu ; quippe telum, cuius in levitate vis omnis est, inhabili pondere oneratur. Breviora itinera equo conficit : longior ubi expeditio est, elephantum vehunt currum, et tantarum beluarum corpora tota contegunt auro. Ac, ne quid perditis moribus desit, lecticis aureis pelicum longus ordo sequitur : separatim a reginæ ordine agmen est, æquatque luxuriam.

« Feminæ epulas parant ; ab iisdem vinum ministratur, cuius omnibus Indis largus est usus. Regem mero somnoque sopitum in cubiculum pelices referunt patrio carmine noctium invocantes deos. Quis credat inter hæc vitia curam esse sapientiæ ? Unum agreste et horridum genus est, quod sapientes vocant. » (Curt. VIII, 9, passim).

Alexandrum relinquimus in limine Indiæ. Cum eo percurrimus mediæ Asiæ regiones, ubi post eius mortem mirum in modum florebit Græcitas. ❧

Continuabitur

DE MATA HARI (1876-1917)

- scripsit Victorius Ciarrocchi -

Impavida, sicut impavide vixerat, prima luce diei 15 Oct. 1917 coram nonnullis militibus, qui in cavædio castelli Vincenniensis erant instructi, ad ultimum supplicium processit Margarita Gertrudis Zelle, quam omnes « Mata Hari » vocabant, quia hoc cognomentum, quod « lucem diei » significat, sibimet ipsa imposuerat.

Anno 1876 Margarita ortum habuit in oppido *Leeuwarden*, quod in Frisia, Septentrionalis Bataviæ sive Nederlandiæ provincia, situm est. Modice locupletes erant eius parentes, Antia van der Meulen, mater, et pater Adamus, petasorum mercator, qui postea, ob negotia quædam inconsulte contracta, rei familiaris prosperitatem amisit. Iam ab adolescentula raris animi viribus prædita fuit Margarita, quæ immo ad felicioris vitæ occasiones captandas proclivior videbatur esse: nemo enim eam cupide non contemplantur, quam natura omnibus venustatis gratiis atque illectamentis ditaverat. Procera enim erat Margaritæ statura, capilli et oculi nigri; mammæ etsi « parvæ » (ut in Lauræ Laurenzi symbola legitur c.t. « Mata Hari, corruptrix, sed non speculatrix », die 16 Oct. 2007 edita in actis diurnis q.i. *la Repubblica*, p. 31), tamen adeo pulchræ, ut illam partem « Cantici Canticorum », qua femineî corporis virtutes describuntur, pro hac femina scriptam esse crederes.

Anno 1895, postquam nuntio cuidam matrimoniali responderat, nupsit Rudolfo Mac Leod, exercitus Batavici centurioni, qui pæne quadragenarius erat et multos annos in terris dicioni Batavorum subiectis vitam degerat, e qua tamen vita tristior factus erat. Anno 1897, postquam Margarita infantulum peperat, nomine Normannus Ioannes, in Indonesiam coniuges profecti sunt. Ibi autem brevi felices Rudolfus et Margarita vixerunt etiamsi anno 1898 puella nata est, quam Ioannam Aloisiam appellarunt, quoniam Rudolfus alcoholismo pronior fiebat, et maxime quia mense Iunio 1899 Normannus mortuus est, utrum is morbo quodam correptus an ab ancilla, quæ puerulos custodiebat, venenatus fuerit, etiamnunc incertum.

Utique matrimonium vacillare cœpit et anno 1902, postquam uterque in Bataviam reverterat, discussio facta est. Tunc Margarita in Francogalliam se contulit, quia suam ipsius venustatem atque artem saltandi virosque adliciendi, quam artem in insula Iava et Sumatra præclare didicerat, maxime Lutetiæ Parisiorum non sine exitu prospero exerceri posse haud inepte credebat.

Ex anno igitur 1905 Margarita, quæ interea sibi exoticum nomen indiderat « Mata Hari », maximo successu se exhibere cœpit variis in theatris, quæ tunc adire solebant viri proceres ac bene nummati. Per duo lustra

hæc femina illorum regina fuit spectaculorum, et propter eius pulchritudinem et molles in saltando motus, quibus efficiebatur ut virorum animi ardentem excitarentur, quadamtenus obscurari visa est fama, quam Isidora Duncan, Lola seu Dolores Montez, Carola Otero, celeberrimæ tunc temporis feminæ, non sine meritis sibi comparaverant.

Viros præterea Margarita rapiebat etiam arte narrandi: iis enim, qui eius vitam cognoscere cupiebant, se filiam esse cuiusdam principis dictitabat. Quod, ut viris amore captis accidere solet, eorum animos magis magisque incendebat. Postquam autem anno 1914 bellum illud mundanum exortum est, Mata Hari, cui maxime placebant viri militares, præsertim centuriones et duces, horum Berolini multos convenire cœpit atque ex ipsorum sermonibus haud pauca comperire valuit ad bellum illud spectantia. Sed in animo semper habebat consilium Lutetiam redeundi, quia hac in urbe, quamvis condiciones vivendi haud parum essent mutata, etiamtunc iucunda vita degi poterat.

Asperiora autem cum fierent Germanos inter et Francogallos prælia, cumque hi, etsi multo militum sanguine effuso, Germanis resistere valuerint, accidit ut utroque in exercitu maximi momenti in dies fieret occulta exploratio in hostes exercenda. Margarita igitur hoc munere explendo sive his iocis periculosissimis agendis – invita aut consulto, varie scribunt historici, quorum tamen plerique ipsam invitam hoc fecisse autumant – se implicata est. Accedit quod si illa cum sescentis et amplius viris iacuit, unum vero amasse ipsa traditur, Vladimirus de Masslov, centurionem Russum. Quem, cum quodam in prælio vulneratus esset et in valetudinario militari degeret, quod parum ab oppido Vittel appellato distabat, Margarita visitare voluit, sed ita nihil aliud fecit nisi suspiciores in se ipsam reddidit viros Francogallos, qui speculatorum explorationem investigabant.

Nam illud oppidum erat centrum copiarum Francogallicarum, et quoniam cibos sumere solebat Margarita una cum illius præsidii centurionibus, facile erat – hoc investigatores suspicabantur – ut ipsa de quibusdam consiliis bellicis certior facta esset eademque consilia postea ad Germanos transmitteret. Quibus quidem suspicionibus fidem veri similiorem addiderunt nuntii quidam ad Margaritam spectantes, quos Britanni collegis Francogallis dederant.

Anno 1916 hæc femina, quæ de gravioribus periculis sibi independentibus nihil suspicabatur, in Hispaniam se contulit et Matrivi commorata est. Quoniam Hispani ab illo atroci bello se ipsos abstinerant, in eorum urbem principem multi aliarum Civitatum homines, præser-



(posuto.blog.lemonde.fr)

tim Germani et Francogalli investigatores, adire solebant. Quorum in cœtu sæpe versabatur Margarita, sive ut de aliquibus secretis militaribus certior fieret sive ut eos viros blandimentis adliceret muliebribus itaque pecuniam, qua sæpius egebat, haud modicam ab amasiis acciperet. Nam « semper Margarita pro certo habuit rem Veneream maximi momenti esse et viris et feminis, quia illi maximam in re Venerea exercenda voluptatem capiant ; hæc, quia sexualitate viros dominari possint », ut scribit Russell Warren Howe in libro c.t. *De vera historia Matæ Hari* (translatio Italica e textu Anglico, Mondadori, Milano, 1996, loc. cit. p. 45). Ipsa tamen ignorabat eodem in deversorio, ubi pernoctabat, esse quandam feminam, nomine Martha Richard, quæ viros Francogallos certiores cottidie faciebat de Margaritæ vivendi consuetudinibus. Et quoniam hæc femina sæpe quosdam milites legationis Germanicæ conveniebat, hoc statim investigatores Parisienses sciebant.

Sed etiam Germani, quibus erat fasciculus Margaritæ dicatus et siglo <H 21> signatus, hac de muliere diffidere cœperant, quæ demum iussa est ut Lutetiam rediret. Aliis verbis Germani Margaritam, quæ ipsis veluti speculatrix non iam fidelis esse videretur, de medio tollere voluerunt. Sed illa, cui inter Parisienses multi et magnæ auctoritatis amici erant, in horum auxilio sperare non desiverat.

Paucis autem post diebus, ex quo Lutetiam reverterat, id est nocte concubia diei 13 Febr. 1917, dum Margarita dormit in cubiculo deversorii c.n. « Elysii Palatium », quinque publicæ tutelæ procuratores ianuam pulsarunt, atque illa eis aperire est coacta. Frustra se innocentem esse adseruit. Primum in eorum sedem ducta est, deinde in tætrum carcerem « Sancti Lazari » dictum.

Diebus 24 et 25 Iul. eiusdem anni iudicium de Margarita habitum est ianuis clausis, ut dicitur, ne

quid vulgaretur. Adfuit iudicio Mata Hari, quæ omnes accusationes a Petro Bouchardon, publico legis tutore, in se ipsam perfide inlatas firmiter refellit non sine auxilio Eduardi Clunet, patroni peritissimi, qui tamen frustra iudicibus persuadere conatus est insontem esse illam feminam, utpote quæ munus speculatricis minime ad Francogallorum perniciem fovendam explevisset.

Patronum illum docte ardentemque pro Mata Hari perorantem audivit animo commoto præsertim Albertus Ernestus Sompru, illorum sex iudicum præses. Sed tempus quoque Margaritæ adversari videbatur ; nam æstate illa multas clades exercitus Francogallicus acceperat ; atque opinio publica, quæ dicitur, iam valde perturbata ob milia et milia adolescentium qui pro Patria pugnando cottidie vitam amittebant verisimiliter haud leve momentum habuit ut iudices nulla mollitie adficerentur. Hi enim, post duas illius iudicii sessiones, capite Matam Hari damnandam esse decreverunt. Iudicio demum capitis audito, vultum non mutavit Mata Hari quamvis mortem sibi adpropinquantem senserit.

Sicut autem permultis hominibus accidit, qui vel diem supremum animadvertunt proximum, ita et ipsa sperare perrexit. Sed frustra. Nam binæ adversus istud iudicium appellations recusatæ sunt atque deprecationem legati Nederlandi ut Margaritæ parceretur vita respuit Raimundus Poincaré, Rei publicæ Francogallicæ præses. « Multis tamen de causis putandum est Matam Hari numquam speculatricem pro Germanis fuisse [...] Ipsa enim aperte dixerat : ‘Pelex sum, agnosco ; at non speculatrix’ », ut refert Warren Howe (*op. laud.*, p. 270). Quare diluculo illius diei, qui fuit decimus quintus Oct. 1917, expletis ritibus tristissimis, qui morituro apparari solent, Mata Hari ducta est in castellum Vincenniense. Hanc feminam comitabantur, præter nonnullos milites et iudices, etiam Eduardus et duæ monachæ, quas, cum lacrimis ipsæ temperare non valerent, Mata Hari consolabatur. Quæ coram duodecim manuballistariis erecta mansit, vittam ad oculos obducendos aptam recusavit, oscula illis misit – ut quidam biographi rettulerunt – dum crepitus manuballistarum auditur. Tantum tribus glandibus plumbeis adfecta est, fortasse quia – sunt qui putent – aliquibus eorum militum manus tremuerunt. Ita mortem hæc femina obiit eodem animo, quo vitam vixerat : « sicut papilio, qui splendente sole volare contendat ». ❧

LEONIS BAPTISTÆ ALBERTI *MOMVS* (II)

– quem legendum proponit *Francisca Deraedt* –

Momum reliquimus deorum iram fugientem hominumque domicilia tam præcipitanter petentem, ut in cæli puteum delapsus multo minus commode, quam erat propositum, per voragine decideret in terram.

Quid tum ?¹ Tum fortuito fit ut evomatur in solum Etruscum, quæ regio, hoc nemo nescit, religioni est magnopere dedita. Peropportune factum !

« Id sibi unum indixit fore negotium, vindictæ gratia Etruriam ab deorum cultu ad se observandum imitandumque abducere. »²

Nec ad hanc rem deest materia : nam per longum tempus, quod ei contigit in cælo degere, Momus omnia deorum flagitia continuo adnotavit memoriæque diligenter mandavit. Quam facile erit has turpitudines, quarum narrationum gens humana solet esse avida, animis insinuare :

« Ergo obscenas quasque superum fabulas, desumpta poetarum persona, seriove iocove ad multitudinem decantabat. Iovis audiebantur in scholis, in theatris, in triviis adulteria, stupra turpiaque amoris furta. Tum et Phœbi et Martis et horum et item horum superum nefanda facinora vulgo asseverabantur. Denique veris falsa miscebantur et vulgatorum in dies scelerum numerus et fama multo excrescebat, ut iam deorum dearumque caput nullum non incestum flagitiisque perditum haberetur. »

Res bene procedit, ut videtur. Tamen scænæ theatricæ moroso deunculo³ vix possunt sufficere. Funditus enim vult pristinos familiares auctoritatemque eorum evertere. Quis autem hominum animos et conscientias et persuasiones habilis perturbare valet, quam philosophus ? Itaque :

« Philosophantis persona sumpta, ut erat barba promissa, torvo aspectu, hispido supercilio, truci nutu et gestu, ut ita loquar, fastuoso, per gymnasia non sine multorum corona contionabundus disceptabat deorum vim aliud nequicquam esse quam irritum et penitus frivolum superstitiosarum mentium commentum. Nullos inveniri deos, præsertim qui hominum res curasse velint, vel tandem unum esse omnium animantium communem deum, Naturam, cuius quidem sint opus et opera non homines modo regere, verum et iumenta et alites et pisces et eiusmodi animantia, quæ quidem consimili quadam et communi facta ratione ad motum, ad sensum, ad seseque tuendum atque curandum consimili oporteat via et modo regere atque

gubernare. Neque tam malum comperiri Naturæ opus, cui non sit in tanto productarum rerum cumulo ad reliquorum usum et utilitatem accommodatissimus locus. Fungi idcirco quæcumque a Natura procreata sint certo præscriptoque officio, seu bona illa quidem, seu mala pensentur ab hominibus, quandoquidem invita repugnanteque Natura eadem ipsa per se nihil possint. Multa pensari peccata opinione, quæ peccata non sint. Ludum esse Naturæ hominum vitam. »

Haud dubium est Leonem Baptistam Alberti, dum hæc aliaque eiusdem farinæ hic illic in opere suo spargit, oblectari philosophicis disceptationibus. Mihi quidem talia legenti in mentem sponte venit Erasmi *Laus Stultitiæ*, in qua valde subtilis est lector, qui intellegit ubi denique auctor serio loquatur, ubi ludicre. Quidquid id est, effectus et apud mortales et apud superos est eximius :

« His dicendi rationibus plerosque mortalium moverat Momus ut iam intermittere sacrificia et sollempnes antiquari cærimoniam deorumque cultus passim apud mortales deseriret. Id ubi a superis cognitum est, fit ad Iovis regiam concursus. Actum de rebus suis queruntur, opem auxiliumque mutuo (ut fit in perditis rebus) alter ab altero exposcunt, iamque se prospicere affirmant, sublata apud homines opinione deorum et metu, nequicquam esse quod se amplius deos deputent. »

Non est tamen, cur Momus sibi de hoc facinore omni ex parte gratuletur, nam inita controversia, mox ubique pullulant strepituum fontes, dico, philosophantium scholæ. In quibus de deis mundique moderatione alii aliter garrunt, aliter cogitant et suadent, aliter interpretantur, aliter clamant aut blaterant, ut fiat pulchra cacophonia totaque discordia, nisi in hoc uno, quod altercatores contra Momi theorias naturales omnes universi tanto consensu repugnant, ut paulatim deveniatur ad meram rixam. Momus undique circumdatus et oppressus dimidiam iam perdidit barbam, ac mox plagis confectus iuxta viam a philosophis pæne mortuus deseritur.

Cælicolæ hanc cladem desuper spectantes non ita rident, ut putare potuimus, neque gloriantur de misera sorte sui parvuli diaboli. Nonne enim etiam ipse adhuc est deus, eaque ratione hominibus aliquatenus respiciendus ?

« Superis id ad maiestatem deorum conducere nequicquam visum est, ut discant homunculi in quemquam divorum tametsi consceleratissimum atque peni-

tus incognitum inferre manus. Alia ex parte prospiciebant non defuturum quin propediem, Momo, ut cœperat, vindictam prosequente plebeque ignara et credula assentiente, prisci gentium ritus et iusta diis sacra collabefactata oblitterarentur. Coacto ea de re senatu deorum, duæ proferebantur sententiæ. Una erat, in quam quidem pedibus ibant cuncti, ut ad superum auctoritatem dignitatemque revocandam grati aliqui acceptique hominibus mitterentur, qui apud mortalium animos quovis argumento in integrum veteres cærimonias ac deorum venerationem restituerent atque refirmarent.

« Altera erat sententia, in qua variabatur, sed primarios habebat auctores, ut Momus, cuius iam tum mores cælicolis omnibus essent cogniti, revocaretur : plus enim detrimenti ex illius exilio divorum ordini redundaturum quam si garrulum blatteronem, cui nulli amplius credituri sint, domi continuerint. »

At de isto postea. Una res nunc est deis urgeretur curanda : ut divina auctoritas apud mortales quam maturime resarciatur. Videtur mediatorem illuc mittere, « ne quid deorum respublica detrimenti patiatur. »⁴

Deæ Virtutis legationem – est enim ea dea mediatrix creata – ne longior sim, lector benevole, celeriter supervolabo ; aliter me iure meritoque monebis nos ad quattuor *Momi* librorum finem numquam perventuros. Placet tamen eius adventum, tam lepide tamque decore depictum, tibi proponere :

« Dea ut primum appulit ad terras, mirabile dictu quantum universa terrarum facies plausu lætitiæ gestiret ! Sino quid auræ, quid fontes, quid flumina, quid colles adventu deæ exhilarati sint. Videbas flores vel ipso præduro ex silice erumpere prætereuntique deæ late arridere et venerando acclinare, omnesque suavitatum delicias, ut odoratissimum id iter redderent, expromere. Vidisses et canoras alites propter advolitantes circum applaudere pictis alis, modoque vocis deos hospites consalutare.

« Quid multa ? Omnium mortalium oculi divinos ipsos ad vultus contuendos intenti hærebant. Multi spretis officinis tantum adventantium specimen diutius contemplaturi iterum atque iterum sectabantur ; nonnulli inter sectandum præ admiratione obstupescebant, quoad prope attoniti redditi hærebant. Undique confluebant ex vicis, ex angportibus et matres et nurus et senes et omnis ætas, et quinam hospites et quid sibi velint inscii mutuo ab insciiis sciscitando fatigabantur. At dea, composito gradu et vultu, multam præ se ferens admixtam cum dignitate facilitatem, lento motu lætoque supercilio salutatrix per militarem

viam ad gymnasium, inde ad theatrum, postremo in ædes Publici Iuris hominum subingressa constitit. »

Quid Momus interea ? Interea Momus, cum deæ conspectum fugere conetur, ad eius pompam ineluctabiliter attrahitur, eximia Laudis, Virtutis filia, pulchritudine tamquam magnete allectus. Ah viri ! Pristinorum amorum tam facile obliti ! E memoria iam elapsa est dea Fraus, quæ Momi futura erat « altera Iuno ». ⁵

Ne multa : ad templum, dum frivolum Laudem circumambiunt multi rivales, dum Momus benigne recipit. Fiunt colloquia, preces, promissiones, deinde iterum convicia ultionisque cupidines, bellicosæ contiones (« Huc cives liberos esse nos ostendite ! Adeste viri fortes, tyrannos nequire diutius perferre ostendite ! »), deliberationes et soliloquia. Si tibi, bone lector, occasio fuerit totius operis legendi, videbis intra lineas hic illic repere, vix velatas, auctoris politicas cogitationes. Ut hanc unam proponamus gemmulam : Momus in animo versans insipientiam deorum, qui in cæli domiciliis nihil curent nisi proprias voluptates, neque de supero umquam despiciant ad terricolas, hanc habet sententiam : « Tolle qui pareant, frustra imperes ». ⁶

Peracta Virtutis legatione, mox Momum videbimus in deorum gratiam miro modo restitutum. Ad quod obtinendum quanta erit ei sollertia necessaria ! Negotium enim parum feliciter est inceptum, cum novus Laudis amor – iam scimus quam delicatus amarius esse soleat – nihil afferre possit nisi catastrophas.

Ecce quid modo dixi ? Spectate templum, in quo Virtus ceteraque cæli legatio sese recepit ! Momus hedera scandens per fenestram irrepit, et...

« Illinc ubi aspexit solam fortassis Laudem, matre fratribusque consopitis, in suis concinnandis capillis ad tersum templi lapidem quasi ad speculum advigilare, præ amoris furore male sui compos et animo in omnem audaciam percitus, quo se vertat, quid captet consilii non invenit præter id, ut pronus tacitusque amatorii furti occasionem præstoleretur. Idcirco muro sensim diffluens, intensis brachiis animo suspensus dependebat ; quo in statu atque exspectatione positus difficile dictu est quam et moræ et sui esset impatiens. Ad puellam enim factus propior acrius flagrabat amoris facibus ; alia ex parte, multa veritus, refrigescebat atque contremiscebat. Rursus omnia poterat aggredi, rursus item sese levissima quavis oborta suspitione revocabat atque continebat ; iterato ad temeritatem excitabatur, iterato inter audendum hæsitabat ac ad omnes animi in tanto facinore concitatos metus nequibat totis frondibus non

titubare.

« Puella dea, commotarum frondium levi tum primum illecta sonitu, oculos eo deflexerat. Mox ubi pendens ramos hederæ et quasi plausu gestientes frondes conspicata paululum a crinibus innodandis destitisset, suæ non oblita levitatis viridanti ex palmitibus sibi coronam facere aggrediebatur. Quid hic Momi audaciam referam? Etenim sese atrectantem puellam totis laceratis complexus oppressit, atque omnem in partem, ne diis a somno excitis male quod tentasset verteret, oculos atque aures intentas atque arrectas porrigenis pervicit. Mox se in fenestræ limitem retraxit et illic paululum suos inde amores victor securusque spectans constitit.

« Sed vide quid faciat improbitas. Plebei aliqui vilissimi scurræ, quod nullos neque deos neque homines vereri, id demum in vita optimum commodissimumque deputent, per hederam istam ipsam conscendebant stuprandi profanandique templi gratia, prehensisque hinc atque illinc ramusculis multa vi innixi in fenestram evadere elaborabant. Qua ex re effectum est ut Momus, non secus ac per capillos distractus, cum parte putrentis vetustate muri corruere coactus sit. Eam iniuriam Momus ægre tulit. Idcirco in torrentem versus impudentes ipsos scurras foetidam per cloacam traxit atque submersit. »

In templo fit stupor. Virtus, qua est sapientia, ne scandalum augeatur statuit a clamoribus abstinere et exspectare quid fiat. Nec diu exspectandum est :

« Puella vero, insperato Momi scelere exterrita, vix dum animos crinesque collegerat, cum se factam compressu gravidam et partui maturam sentit. Eodemque ferme temporis momento (mirum dictu) sponte sua foetum erupisse animadvertit ; post id, quod ex se natum esset colligens, monstrum horrendum tærrimumque demirans stupuit atque vehementer indoluit. Monstro præter cetera foeda et obscena illud aderat longe incredibile, quod totidem oculis, totidem auribus, totidem micabat linguis quot et ipse modo parens hederam confertus fuerat foliis. Accedebat quod præ se eam ipsam animi ferebat sollicitudinem et curiositatem circumspicendi omnesque motus excipiendi qua inter vitandum parens agitabatur. Illudque vehementius perturbabat, quod mira et nimium intempestiva esset loquacitate præditum : namque vel nascendo quidem conari verba cœperat.

« Tantum ex se natum malum puella non odisse non poterat ; ea de re id opprimere omnibus aggressa est modis, sed frustra. Deo enim deaque progenitum

animans, morti nequicquam obnoxium, vigebat, sed hinc, huc, illac e matris manibus resultitare, suffugitare, rursus repere per sinus per vestesque interlabi non cessabat ; quin et plagis ictibusque collisum voce, corpore ac viribus excrescebat. »

Ipsa etiam Laudis mater omni modo intendit hunc horribilem nepotem de medio tollere : nequidquam. Exsecrabile miraculum videtur esse inexterminabile. Et loquax insuper ! Garrit sine modo, verum verborum flumen, « vera falsis miscens ». Dea denique confecta, nesciens quid hac re faciat, eam proicit per fenestram. Et monstrum :

« ... quo primum solutis membris licuit, eo repente lacertos intentans se agitare ac perinde sublimes pendere aere volitando institit, quoad e vestigio didicit evolare tanta pernecitate ut non radius et umbra, non oculi acies, non animi ulla vis ulla ex parte ad istius unius celeritatem possit comparari. »

Hoc portentum, proles Laudis et Momi, vocatur Fama. ❀

(continuabitur)



1. Istud « Quid tum ? » erat Leonis Baptistæ Alberti sententia. Eadem in *Momo* non raro legitur, atque etiam invenitur in nomismate a Matteo de Pasti confecto, in cuius parte aversa conspicitur oculus alatus cum sententia « Quid tum ? » lauro ornata, quæ supra ostenditur.
2. *Momus*, I, 26 sq.
3. R. Hoven, *Lexique de la prose latine de la Renaissance*, Leiden-Boston, Brill, 2006, p. 160.
4. Deorum senatus, ut patet, est Romanorum simillimus, ac Momus tam periculosus habetur quam Catilina (Sall., *Cat.*, XXIX: « Senatus decrevit darent operam consulis ne quid res publica detrimenti caperet »).
5. Vide *Melissam* 140 p. 12 ; Alberti *Momus*, I, 22.
6. *Momus*, I, 66.

ITER CONSTANTINOPOLITANVM

– quod fiet diebus 7-13 m. Augusti a. 2008 –

Melissæ propositum est « Iter Latinum », idemque tertium, instruere ad Constantinopolin lustrandam a die 7 in diem 13 mensis Augusti anni 2008.

Optimas condiciones obtinuimus in deversorio quattuor stellarum media in vetere urbe sito, unde monumenta maioris momenti pedibus sunt accessibilia. In summo deversorio est iucundum doma, unde patet prospectus ad Propontidem ; ibidem etiam est natabulum sub tecto.

Pretium pernottationis, ientaculi (mensa dapifera) et cenæ pro singulis diebus et singulis hospitibus erit circiter (hoc pendebit a numero participum) :

- 65 euronos eis, qui conclave duorum lectorum eligunt ;
- 96 euronos eis, qui malunt conclave unius lecti.


Programmatis adumbratio :

- singulis diebus fiet lustratio, duce Latino mystagogo.
- singulis diebus fiet acroasis et disceptatio.

Oportet ei, qui participare cupiunt, nos sine mora certiores faciant, quia conclavia reservanda sunt ineunte mense Ianuario. Tunc arrhæ quintæ partis erunt solvendæ.

Participes ipsi curabunt de modo Constantinopolis petendæ.

ECCLESIA SANCTÆ SOPHIÆ.



In hoc fasciculo !

Delectationis causa... [G. Licoppe] p. 1
De Academia Latinitati Fovendæ [Chr. Laes] p. 3
De quarto regno Hellenistico (I) [G. Licoppe] p. 5
De Mata Hari [V. Ciarrocchi] p. 10
Leonis Baptistæ Alberti Momus (II) [F. Deraedt] p. 12
Byzantii conditores [C. du Fresne] p. 15
Melissæ iter Constantinopolitanum p. 16

Imago tegumenti : Persepolis, palatium Apadana
(www.geocities.com)

LATINE LOQVI...

COLLOQVIA LATINA LEXINTONIENSIA

Lexintoniæ in America, d. 7-14 m. Iulii 2008. Colloquiorum participes quædam opuscula palmaria legent, deque operibus lectis Latine disputabunt scribentque.

¶ terence.tunberg@gmail.com

CONVENTICVLVM BOSTONIENSE

Tam tirones quam peritiores invitantur ut Latine de multis rebus iuxta mare iucunde commorantes loquantur. Dermutæ in oppido Massacusetano, d. 2-10 m. Aug. 2008.

¶ terence.tunberg@gmail.com

CONVENTVS ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

« Ad fines imperii Romani – anniversario bis millesimo cladis Varianæ », Ratisbonæ in Bavaria Germaniæ, d. 15-19 m. Septembris 2009.

¶ sallmann.k@t-online.de ¶ <http://academialatina.org/>

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Frigoletensis, 16-23 m. Iulii 2008.

¶ feriae@frigolet.com

MELISSÆ ITER CONSTANTINOPOLITANVM

Idemque Latinum, de quo in his paginis plura, d. 7-13 m. Iulii 2008.

¶ g.licoppe@skynet.be

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 20-26 m. Iulii 2008.

¶ Augustæ Treverorum in Germania : 3-9 m. Augusti 2008.

¶ <http://www.voxlatina.uni-saarland.de/>

SEMINARIVM FRATERNITATIS SANCTI PII X

Ad Montem Pulchrum in Germania, 27 m. Iulii - 2 m. Augusti 2008

¶ badius@gmail.com